



Vallerius Aurelian in finibus magnæ Germaniae & Pannoniae obscuriore familia natus est. Puer adhuc sese indies pilo, aut sagittis exercuit, atque etiam diebus festis inertiae impatiens, feris insidias struxit, aut arma tractare didicit. Adulta aetate fuit statuta procerus, atque ualidissimo corpore praeditus. Itaque erumpentes Sarmatas cum trecentis praesidiariis solus attrivit, manu etiam sua bello Sarmatico una die quadraginta octo interfecit se narratur, ceteris autem diebus plusquam non ingentos. Inde magna authoritate castra Romanorum secutus, Tribunus sextae Gallicanae legionis constitutus fuit. Itaque iuxta Moguntiam limitis Rheni praefectus Francos irruentes repressit, septingentos interemit, & trecentos captos sub corona uendidit. Castreria peccata militum tanta severitate correxit, ut omnibus formidulosus uitia quaeque ab exercitu amoueret. Postea a pluribus Imperatoribus diuersos tribunatus & ducatus sortitus, liberator Ilyrici, & Galliarum restitutor dictus, a Valleriano consul designatus, & multis donis affectus fuit. Hisce auspicijs factus ut tandem post Claudium Imperator electus fuerit. Inde contra Sarmatas, Sueuos, & Marcomannos pugnauit, a quibus Respub. iacturam acceperat. Marcomanni enim tantum Romanis terrorem incusserant ut iam de sua urbe desperarent, & Sibyllinos libros adirent, quo hostes sacrificijs arcere possent. Interea cum magna seditiones Romae excutarentur, Aurelianus in urbem uenit & plures nobilium & senatorum interfecit. Postea suatu composito ad Orientem protectus est, in itinere in Thracia & Illyrico occurrentes Barbaros stravit, Gothorum ducem sudit, Bythiniam recuperauit, & Thyanam ciuitatem expugnauit. Deinde Antiochia occupata Zenobiā superauit, atque omni Oriente recepto in Europam magna gloria reuersus est. Hisce rebus confessis Firmum quendam, qui Aegyptum inuaserat, sustulit, atque tandem Tetrarchum in Gallias ad Occidentem tyrannidem exercentem coepit, & eum cum Zenobiā in triumpho Romam perduxit. In eo triumpho populo dona distribuit, & postea multas salutares leges sanxit, sacerdotia cōposuit, templū Solis fundauit, urbē muris cinctu, & architectis solaria constituit. Sed cum postea per Illyricū contra Persas iret, inter Heracleam & Bizantium malitia Mnestei scribæ sui interemptus fuit. Occisor cæde cognitus in stipem ligatus, atque bestiis obiectus est. Inde Aureliano templū sepulchrū, & statuæ marmoreæ posite, & inter duos relatus est, anno imperij 6, atque salutis nostræ 276. Hic Aurelianus primus apud Romanos diadema capiti imposuit, gemitus & aurata ueste usus est, id quod hactenus incognitum fuerat. Flo. Vopisc. Oros. Cuspin.